

Georg Mejer Jacob Fabricius


Disputatio XIV. Collegii Metaphysici : De Substantia

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729124304>

Druck Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 916

35 1717





DISPUTATIO XIV.
COLLEGII METAPHYSICI
DE
SUBSTAN-
TIA.

Quam

AUSPICE CHRISTO

In alma Rosarum Academia

PRÆSIDE

M. GEORGIO MEIERO

Duderstad. Sax.

Defendendam suscipiet

JACOBUS FABRICIUS

Slesvicentis.

Ad diem 17. Octobr. horis pomeridianis.

ROSTOCHII
Ex Typographia Stephani Myliandri
Anno cl^o 1^o CX.

DISPUTATIO XIV.
COLLEGIUM METAPHYSICUM
DE
SUBSTANTIA
QUIA
In Alma Mater Rostockensi
PRAESIDI
M. GEORGIO MEIERO
DUBITANTE
D. JACOBO FABRICIO
SILVANO
Atque Oratorum
ROSTOCKIA
in Typographia Rostockensi
Anno 1713. CX.



DE SUBSTANTIA.

Theorema I.

Ens in substantiam & accidens dividitur.



Contemplati hucusq; sumus in Metaphysica generali Ens in genere, ejusq; principia & affectiones generalissimas: ordo nunc flagitare videtur, ut ad species Entis accessum faciamus, praesertim cum eisdem sit scientia, & genus, & species generis contemplari, Philosopho teste, lib: 4. Met: c. 2. II. Autor vero divisionis Entis tradita à nobis, perhibetur Philosophorum Princeps Aristoteles, ut trito habetur disticho: Summus Aristoteles trutinando cacumina rerum,
In duo divisi, quicquid in orbe fuit.

Sed tamen de veritate ac certitudine hujus divisionis haud immeritò dubitari potest. Nam si quaedam in natura reperiuntur, quae ad eam minimè referri possunt, procul dubio falsa erit & illegitima. Dari autem quaedam, probatur. 1. Quia affectiones Entis, ut sunt unum, verum, bonum, neg; substantia sunt, neg; accidentia: Sunt enim in nulla categoria, quia omnem transcendent, ideoq; etiam termini transcendentis appellantur: substantia vero & accidens certis insunt categoriis. 2. Quia propositio nulla referri potest, vel ad substantiam, vel ad accidens: Sunt enim substantia & accidens termini simplices: Propositio vero è terminis simplicibus est extracta. 3. Quia substantia certo quodam respectu potest dici accidens, v. g. vestis, quae in se substantia est

tia est, respectu hominis, qui eam est indutus, accidens est. Omnis autem divisio debet constare partibus contradistinctis, nec membrum unum debet induere naturam alterius.

III. Caterum quò minus huic sententia subscribamus, facit unicum hoc argumentum, sed longè evidentissimum: Quicquid in rerum natura est, illud subsistit vel per se, vel in alio: nullum datur medium. Si per se: erit substantia: si in alio (inhabere) erit accidens.

IV. Nec obstant rationes paulò antè adductæ. Illarum enim prima Philosophi sententiam non fert. Philosophus enim Ens dispescuit in substantiam & accidens, non affectiones Entis. Est itaq; mens Aristotelis hæc, quòd omnia ea, qua sunt infra transcendentia, in certa quadam categoria, referantur vel ad substantiam, vel ad accidens, qua species sunt Entis: seu quòd idem est, quòd omne Ens sit vel substantia, vel accidens. Jam vero unum, verum, bonum, non sunt Entia, sed Entis affectiones, ideòq; hac divisione non comprehenduntur. Deinde licet affectiones Entis propriè accidentia vocari non possint: ad eorum tamen naturam quàm proximè accedunt. Nec secunda Philosophi sententiam impugnat. Propositio enim consideratur vel sub notionibus secundis, vel notionibus primis. Neutro autem modo referri potest ad divisionem illam entis generalem, neq; etiam debet. Non priori, quia sic propositio est Ens rationis: Divisio autem respicit Ens reale: Neq; posteriori, quia sic propositio est Ens complexum: divisio autem respicit Ens incomplexum. Sensus namq; divisionis est, quòd omne Ens reale & incomplexum sit vel substantia, vel accidens. Tertia deniq; & ultima planè est falsa. Falsum est, substantiam ullo modo dici posse accidens, cum impossibile sit, substantiam fieri accidens, & accidens substantiam. Et vestem respectu corporis esse accidens, nullà, ac ne probabili quidem ratione probari potest.

Theo-

Theorema II.

Ens tamen genus est non univocum, sed analogum substantiæ & accidentis.

I. Competit enim Ens per prius substantia, per posterius vero accidenti: Substantia enim si non esset, neq; esset accidens, cum accidens non in se, sed in substantia suam subsistentiam habeat. Quodcumq; autem genus uni per prius, alteri per posterius competit, illud est analogum, secundum definitionem generis analogi. Deinde accidens definitur per substantiam: Cum enim accidentis esse sit inesse, utiq; accidens non potest defini extra id, cui inhaeret. Ut enim res est, ita quoque defini debet. Est vero omne accidens in substantia. Ergo in substantia quoq; definiendum. Jam vero species per suam conspeciem nunquam definitur. Nunquam brutum per hominem, sive in homine definitur: neq; homo in bruto. 3. Accidens deniq; totum dependet à substantia: Sublatà enim substantià, statim perit accidens. Species autem una generis univoci non dependet ab altera. Non pendet brutum ab homine, neq; homo à bruto. Hinc accidens nomen Entis, non nisi per & propter substantiam meretur, quod scholastici Dd. etiam innuerunt, accidens Ens ad aliud appellitantes.

II. Sententia huic verissima opponit sese Timplerus lib. 4 Metaph. c. 1. q. 3. ubi probare conatur, Ens de substantia & accidente non analogicè, sed univocè predicari. Quia Ens ex aquo (inquit) predicatur de utraq; specie sibi subjecta. Neq; obstat quod substantia nobilior Ens sit, quàm accidens: illa enim præstantia, quàm una species antecellit alteram, non tollit identitatem essentia generalis, seu aequalem generis participationem: Nam & homo nobilior animal est, quàm bestia: neq; tamen inde sequitur, animal non esse genus univocum hominis & bestia.

III. Sed nil facit aliud Timplerus, quàm quòd principium petat.

petat. In questione enim versatur, utrum *Ens* ex aequo de *Substantia* & *accidente* enunciatur, qualis *prædicatio* tantum generi univoco competit. Probare igitur debebat, *Ens* ex aequo *prædicari* de *Substantia* & *accidente*, & non simpliciter affirmare. *Contrarium* jam paulo ante à nobis demonstratum fuit: ostendimus enim quod *Substantia* magis *Ens* dicatur, quam *accidens*, eò quòd hoc sine illa esse nequeat. Deinde in eo quoque errat *Timplexus*, quod putet, eam esse *Substantia* & *accidentis*, ad *Ens* rationem, quæ est hominis & *bestia* ad *animal*, quod tamen falsissimum est. Nam non tantum ratione *essentia* *specificæ* *Substantia* nobilior est *accidente*, quemadmodum *homo* *bestia*: verum etiam *generica*, quia *Entitatis* ratione antecellit *Substantia* *accidens*, quod videlicet *Substantia* magis dicatur *Ens*, quam *accidens*: *homo* vero *bestiam* ratione *animalitatis* non antecellit, quia *homo* non magis dicitur *animal*, quam *bestia*. Hinc fit, quòd *bestia* omnino per se existere possit, *citra* *hominem*: *accidens* vero *citra* *Substantiam* non item.

Theorema III.

Substantia est *Ens* per se subsistens, & *accidentia* sustinens.

Dicitur *Substantia* *Ens*, quia suam obtinet *Entitatem*, & quidem in gradu perfectiori, quam *accidens*, uti in *theoremate* precedenti ostensum est. Dicitur deinde per se subsistere *Substantia*, ad differentiam *accidentis*, quod non per se, sed in alio subsistit, tanquam in *subjecto*. *Proprium* quasi consequens *Substantia* est, sustinere *accidentia*, quod tamen non de simplici est necessitate *Substantia*, quia posset *Substantia* esse, & per se subsistere, si vel maximè *accidentia* nulla susciperet.

Theorema IV.

Substantia multipliciter dividitur.

Agimus

I. Agimus de substantia finita, qua sola ad categoriam substantia spectat: non infinita, qua limites omnium categoriarum longissime transcendit. Finita itaq; substantia initio duplex constituitur: prima & secunda, divisione quidem non univoca, sed analogica, quia vox substantia de illis predicatur ἀπὸ ἐνὸς αὐτῶν ἐν, secundum prius & posterius. Ἄριστος competit substantia prima: ἁπλοῦς vero secunda, qua licet suam naturam propriam existentiam sibi vendicet: eam tamen obtinere non potest, nisi mediante prima, per cujus actualitatem omnis existentia universalium completur.

II. Altera divisio substantia est in incompletam, & completam. Illa hujus est principium, ut materia prima & forma, è quibus omnis componitur substantia completa, corporea tamen. Dubitatur vero, num substantia incompleta, revera sit substantia, cum non per sese subsistat, neq; etiam per se subsistere possit. Ubi enim queso materia prima per sese existens reperitur? Verum dicimus cum scholasticis Dd. materiam primam per se quidem substantiam non esse, subsistendo scilicet: substantiam tamen esse in alio, quia formam propriam non habet, sed semper sub forma est aliena, ejuſq; beneficio subsistit. Quia autem materia prima rebus substantiam confert, eam è substantiarum numero excludi minime oportet. Est itaq; ductus modis quicquam in categoria substantia. 1. quod primo & per se, non respectu alterius subsistit, ut sunt Elementa, & omnia, qua ex his composita sunt. 2. quod quidem per se est, primo vero per se non subsistit, sed per aliud. Atq; hoc pacto materia prima in categoria substantia esse dicitur.

III. Substantia completa dividitur in incorpoream & corpoream. Incorporea est, qua ex actu & potentia est composita. Hinc Scaliger exer: 359. sect. 2. Intelligentia tamen non est composita ex materia & forma: tamen constat ex aliquo, tanquam
poten-

potentia, & aliquo, tanquam actu. Potentiam illam dicimus e-
jus esse, actum vero ejus essentiam. De hac prolixius sumus a-
cturi in disputatione ultima. Substantia corporea est, qua ex
materia & forma est composita. Materiam in constitutione sub-
stantiarum corporearum concurrere, conspicitur ex quantitate,
qua proprium & necessarium adjunctum est materie, ita qui-
dem, ut ex materiato quantum, & contra, quantum ex materia-
to rectissime argui possit. Unde Scaliger exer. 359. sect. II infert,
corpus facere sine materia, est facere insomnium sine somno.

IV. Hoc si perpendisset Timplerus, non tanta cum absurditate
hanc sententiam verissimam impugnasset lib. 4. Met. c. 6. q. 18.
ubi duobus argumentis probare nititur, non omne corpus esse ma-
teriatum, quorum prius hoc est: Quicquid ex nihilo immediatè
est productum, id non est materiatum: Idem enim est ex nihilo
immediatè produci, quam ex nulla materia produci. Atqui
quoddam corpus ex nihilo immediatè est productum, nempe cœ-
lum supremum, & materia prima. Ergo quoddam corpus non
est materiatum. 2. Si omne corpus est materiatum, sequitur in
genere causarum immaterialium dari processum in infinitum:
& per consequens, nullam posse dari materiam primam. Omnis
enim materia substantialis (inquit) est corpus: Quod si corpus
erit materiata ex sententia Adversariorum: si materiata: habebit
aliam se priorem materiam: si hoc; non erit ulla materia pri-
ma. Materia enim prima est, qua aliam se priorem materi-
am non habet.

V. Verum respondemus ad primum, negando majorem. Si
enim illud statim esset immaterialum, quod ex nihilo est produ-
ctum, non tantum cœlum; non tantum materia prima: sed et-
iam totum hoc universum immaterialum esset, quia totum ex
nihilo à Deo productum est. Et probat argumentum nihil ali-
ud, quam corpora quadam materiam suam non habere ex alia
aliqua præexistente materia, quod libenter concedimus. Sed que
est ra-

est ratio sequela: Corpus materiam non habet aliunde, ex alia materia: Ergo nullam habet? pari Logicâ possemus & nos colligere: Corpus quoddam suam corporeitatem non habet ex alio corpore. Ergo non est corpus. Quod consequens quia absurdum est, & prius illud absurdum merito statuitur. Ac proinde distinguimus inter id, quod materiam habet ex alia, per naturalem generationem: & id, quod materiam habet concretam, sive concreatam sibi ex nihilo, per creationem. *Virum* materiatum rectè dicitur: nam quando Deus cælum produxit, simul & materiam & formam cæli produxit: quia cælum nihil aliud est, quam materia & forma inter se unita. Quomodo materia prima materiata vocetur, in dîquisitionibus nostris Physicis ostendimus. Ex his videre licet, quid ad alterum argumentum respondendum sit. Non est processus in infinitum metuendus, quia subsistendum est in materia ex nihilo à Deo creata, qua primum principium est omnium corporum naturalium. Distinctionem nostram, quam dedimus inter materiam præexistentem & concretam exagitat quidem *Timplexus*, sed tamen eandem non impugnat. Dicit: materia concreta, si qua est, erit corpus: & per consequens, si sententia Adversariorum est simpliciter vera, illa quoque erit materiata: & sic impossibile erit, ad materiam simpliciter pervenire. Sanè materiam concretam, quam primam appellamus, materiata esse intrepidè asserimus: qualis enim quæso materia immateriata? Neque tamen sequitur, quod propterea materia prima sit corpus: est enim principium corporis, quod tamen si quis corpus improprie appellare voluerit, per nos licitum est.

VI. Substantia corporea est vel simplex, vel mixta. Simplex est, qua immediatè ex materia prima & forma constat, ut est cælum & quatuor elementa. Nam falsò *Averroes* materiam cælo subtraxit, cum quantitate & figurâ sit præditum. Quantitas autem & figura ubi reperiuntur, ibi quoque reperitur materia, quia

B

neces-

necessario hanc insequuntur. Et quis caelum appellabit corpus immateriatum? immateriatum quod est, incorporeum quoque est. Ergone corpus incorporeum? *2^o mov.* Caelum vero revera corpus esse, & non spiritum, manifestissimum est. Eadem autem reperitur materia in caelo, qua in Elementis, quia non duplex datur materia prima, & non sunt Entia praeter necessitatem multiplicanda. Quod autem caelum mutationi aut corruptioni non sit obnoxium, quemadmodum Elementa, id non diversam in caelo materiam, a materia Elementorum arguit, quia non data fuit a natura materia ob transmutationem ad generationem primam, & per se, ut ubicunque sit, ibi etiam sit generatio: sed ad subsistendum forma corporeitatis in substantia, & recipiendum quantitatem, ac figuram. Scalig. exerc. 61. sect. 1. Ibi ergo mutua datur actio & passio, ubi contraria dantur qualitates, quae quia in caelo non sunt, mutationis est expertis. Dicitur autem substantia simplex, non quod simpliciter omnis compositionis sit expertis, sed quod non est quatuor elementis sit composita. Simplex ergo hoc loco non opponitur composito, sed mixto. Mixta substantia est, quae est quatuor Elementis est constata.

VI. Substantia mixta est duplex: imperfecte mixta, & perfecte. Substantia imperfecte mixta est, quae ex imperfecta quatuor Elementorum concrectione constat, ut sunt meteora: Perfecte mixta, quae ex perfecta & stabili elementorum concrectione generatur.

VII. Substantia perfecte mixta est vel inanimata, vel animata. Inanimata est, quae anima destituitur, ut sunt metalla, & lapides: haec, quae eadem est praedita, & operationes vitae edit.

II X. Animata substantia est vel anima vegetante tantum praedita, ut planta: vel praeter vegetantem, etiam sentiente, ut brutum: vel praeter utramque, etiam rationali, ut homo, de quibus omnibus copiosius in Physicis.

Theo-

Theorema V.

Substantia una alteri immediatè non contrariatur.

I. Contrarietas enim propriè qualitibus inter sese pugnantibus tribuitur. Sic virtus propriè dicitur contrariari vitios calor frigori, quæ in sese recipere potest substantia, non quidem simul, sed successivè. Sic eadem substantia modo potest esse calida, modo frigida; idem homo modo præditus virtute, modo vitio. Quia itaq; substantia in se recipit contraria, non potest dici iisdem propriè contrariari, aliàs enim non reciperet, sed repelleret, quia contrariorum est pugna. Licet itaq; substantia contrariorum sint susceptiva, non tamen sibi invicem sunt contraria, quia ratione communis essentia eandem participant definitionem. Hinc rectè substantia diversa dicuntur disparata, non verò contraria.

II. Contrà obijcitur: 1. Quòd ignis contrarietur aqua. 2. Quòd inter quasdam substantias sit & reperiatur ἀντιθέτα, ut inter vitem & brassicam, milvum & columbam. 3. Quòd principia corporum naturalium sint contraria.

III. Respondemus verò ad objectionem primam, ignem contrariari aqua, non per essentiam, sed accidentia: humiditati enim & frigiditati aqua, per siccitatem suam & caliditatem contrariatur ignis. Probat itaq; argumentum hoc, substantiam unam alteri esse contrariam non immediatè, sed mediatè, mediantibus videlicet qualitibus, quod libenter largimur. Ad secundam, ἀντιθέτα, ut & ἀντιθέτα non respicere substantias πρῶτως, sed δ' ὑποκείμενα: πρῶτως verò ipsa in substantijs accidentia, sicut qualitates. Hinc in Physicis de rerum ἀντιθέτοις, ut & ἀντιθέτοις agitatur, non ubi agitatur de corporibus, sed ubi de Elementorum qualitibus: Qualitatum itaq; est ἀντιθέτα. Ad tertiam & postremam, non omnia principia sibi invicem contrariari: nam materia non contrariatur formæ, neq; forma materia, sed

*Sed potius amicè inter se conspirant: semper enim cupit forma in-
formare, & materia informari. Hinc Philosophus minime veri-
tus est dicere, quòd materia formam appetat, ceu famina marem,
& turpe pulchrum, lib 1. Phys. c. 9 t. 81. Contrarietas tantum
deprehenditur inter formam & privationem, & materia veluti
subjectum est, quod hujuscemodi contrarietatem in se recipit.
Jam vero privatio non est substantia, siquidem non est principi-
um constitutionis, sed transmutationis saltem, ideòq; ut substan-
tia non poterit forma contrariari.*

Theorema VI.

Substantia non recipit magis & minus.

*I. Magis & minus suscipere proprium est accidentium, &
quidem eorum, in quibus locum habet remissio & intensio. h. e.
qua gradibus inter sese differunt. Sic calor & frigus suscipiunt
magis & minus, quia & remissior est calor, & intensior; remissi-
us item frigus, & intensius.*

*II. At inquis: nonnè forma Elementorum, qua certè substan-
tia sunt, in mixtione magis & minus recipiunt? Benè est. Di-
stinguimus hic inter remissionē, qua consistit in minus forti, forma
in subjecto radicatione: & qua in graduum formalium diminu-
tione. Non hæc: sed illa formis Elementorum competit.*

COROLLARIA.

I.


An de categorijs rectè in Metaphysica præcipiatur? A.


II.

An DEUS categorijs possit includi? N.

III.

An ex non substantia possit fieri substantia? N.





306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis: & natura: nunquam vero corrumpitur: & nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia sunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.


Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se in corpore, sed semper extra corpus existit.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore, per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione esse bonus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document